

CONCIO II.

præcipitia. Id facit lingua adulatoris, quæ magnates in superbiam elevat, et altiores quam revera sint, facit; lingua calumniatoris et detractoris, quæ virtus proximorum parva facit magna, magna majora; lingua mendax, jactabunda, querula, susurrans, etc. quæ ex musca facit elephantem. Talis lingua serpentis: *Eritis sicut dii*; lingua juvenum instigantium Roboamum ad opprimentes subditos; lingua uxoris Job: *Maledic Deo et morere*. Sed et ipsum loquentem lingua mala perdit, ut Cainum, ædificatores Babel, juvenem Amalecitem, Sennacherib, etc.

Secundum: *Lingua ignis est, universitas iniquitatis*, tum quia implet universum sua iniquitate, omnes civitates, plateas, domos; tum quia est: *Lena et conciliatrix peccatorum*, ut ait S. Basilus, in Ps. CXXXI. Omnes enim iniquitates per linguam aut perficiuntur, aut persuadentur, aut defenduntur, aut excusantur, tum quia omnia hostiliter invadit, Deum, angelos, sanctos, homines justos, creaturas irrationales, Dei verbum, sacramenta, Christi crucem, passionem, sanguinem, vulnera, virtutes omnes, celum et elementa; tum quia velut universitas seu academia docet omnes iniquitates, uti universitas omnes scientias.

Tertium: *Lingua constituit in membris nostris, quæ maculat totum corpus*, quia nimis totum hominem fœdo colore, et odore, libidinum, rixarum vulnerumque, necnon infamiae commaculat, quemadmodum ignis denigrat ea, quæ adiuit. Et sicut lingua murmurans Marie sororis Moysis ipsam lepra aspersit: ita lingua prava, v. g. susurronis inficit totum hominem; cor, ut sinistra cogitet de proximo; aures, ut ejus preces et excusationes non admittant; oculos, ut ipsum ægre aspiciant; linguam ut ejus innocentiam non defendat, virtutes celet; nares, ut illius bonam famam et laudabilem vitam non olflicant; manus, ut ipsi nihil tribuant, commendent, succurrant, etc.

Quartum: *Inflammatur rotam nativitatis nostræ*, id est, universum vitæ nostræ cursum, quo modo laminæ ferreæ ignitæ affiguntur a fabro ad rotas easque undique ambiant. Sic enim lingua mala totum vitæ nostræ cursum occupat. Alia virtus certam habent vita metam: petulantia pueritiam, libido juventutem, ambitio virilem æatem, avaritia senectutem occupat, omniaque tandem cum homine senescunt et emoriuntur; solum linguae vitium omnem vitam occupat. Audiuntur enim mendacia, turpiloquia, detractiones, juramenta et perjuria, execrationes, murmurationes, jactantiae, irrisiones, querimoniae, nugae, etc. tam a senibus, quam a juvenibus.

Denique, inflammat et urit hominem in gehenna, ut patet exemplo epulonis, cuius lingua quantum hic deliquit, tantum ibi cruciatur.

Hæc et his similia linguae damna serpentis Christus ingemuit, tum quod homines hæc non expendant, tum ut doceret nos ingemiscere super his malis, eaque sedulo cavere.

VI. Ait illi: *Ephphetha quod est, adaperire*. Hac voce veluti clave aperuit linguam muti. Clavis ista significat firmum propositum moderandi linguam, hoc est, claudendi per silentium, nec aperiendi sine causa et prævio examine: denique, quam possumus brevissimo sermone nos expediendi. Hoc est, quod dixit Ecclesiasticus, c. XXVIII. *Ori tuo facito ostia et seras*, q. d. obfirmatio os tuum per silentii virtutem, seriis propositionis quasi seris et repagulis, ita ut nunquam pateat, nisi prius ex decreto rationis ei dixeris: « Ephphetha, aucepis non emitte accipitrem nisi anserem videat: dedignatur venator catulum solvere, nisi lepus appareat: arcus flexis cornibus frustra non intenditur, et rationale os ad effundenda irrationabilia passim relaxatur, » ait Petrus Dam. card. Hoc proposito se armabat David, ait enim Ps. XXXVIII. *Dixi: Custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea*. Posui ori meo custodiam, cum consistenter peccator adversum me. Huic voto, ut efficacius sit, adde mulctam aliquam, si lingua hallucinatus fueris. Scribit Joannes Nyder Dominicanæ familie Norimbergæ, circa annum Domini 1430. antistes in formicari. I. IV. cap. III. virum sui ævi nobilem, maledicentiae et execrationi a puero assuetum, indicto sibi jejunio, quoties lingua deliqueret, tandem seipsum ita vicesse, ut ne voculam quidem impiam in posterum emitteret. Alium quemdam civem Augustanum simili vitio obnoxium, quoties impium quid loqueretur, cultello sibi carnem incidisse et guttam sanguinis elicuisse: alium item, civem Memminganum in eamdem execrandi consuetudinem prolapsum vino abstinuisse, ejusque loco aqua sitim levasse, quoties execratus esset: sive utrumque de seipso feliciter ac brevi triumphasse. Durum quidem est hoc, sed pensandum quod dixit Dominus, Matth. XVIII. *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*.

Addit Ecclesiasticus ad majorem ejusdem rei explicationem: *Aurum tuum, et argentum confla*, hoc est, verba tua, quæ ut aurum vel argentum eustodire debes, contrahe, sicut vasa aurea et argentea, ut in alias terras asportemus, conflare solemus; quasi dicat id, quod quidam jurisconsulto loquaci dixit: *Non oportet multis verbis pauca*

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

dicere, sed paucis multa. Pro *confla*, aliis, ut Ambrosius, serm. XXII. in Psalm. CXVIII. legunt *alliga*, q. d. alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciat et multiloquo sibi peccata colligat, quo modo vestes undique defluentes in terram, multum luti contrahant necesse est. Alexander Magnus, epistolam a matre missam, quæ occultas accusations et calumnias in Antipatrum confinebat, legens, eamdem Hephaestioni amico legendam dedit; sed ea perfecta annulum digito detraxit et ori illius sigillum velut reticentia symbolum impressit dicens: *Contine hæc, et ne quid eorum effutias*, Plut. Ergo et Christianus symbolum hujusmodi imprimat ori suo, firmum, inquam, propositum tacendi ea, quæ taceri debent. Deinde, pauca loquatur, tarde et considerate, juxta consilium Senecæ, ep. XL. dicentis: *Summa summarum hæc erit: Tardiloquium esse jubeo*.

Dicat ergo unusquisque et statuat in corde suo: *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Græcorum proverbium fuit: *Lingua quo vadis? Civitatem erectura et eamdem denuo subversura, q. d. id Proverb. XVIII. Mors et vita in manu linguae*. Interroga tu velut janitor linguam egressuram: *Lingua quo vadis? Erectura civitatem? Egedere et erige. Destructura civitatem? Siste in conclavi tuo, hoc fræno si rexerimus linguam nostram, extruet illa nobis civitatem in celo quia, ut ait S. Jacobus: Si quis in lingua non offendit, hic perfectus est vir*.

CONCIO III.

ALIQUOT VITIA LINGUÆ CURANTUR.

I. Vitiosa taciturnitas. — II. Garrulitas. — III. Stultiloquium. — IV. Vaniloquium. — V. Turpiloquium. — VI. Sacrorum verborum abusus. — VII. Maledictum seu imprecatio. — VIII. Juramentum. — IX. Perjurium.

THEMA.

Solutum est vinculum linguae ejus, et loquebatur recte. Marc. VII.

Quemadmodum Judæi mirantes Christam dicebant, Joan. VII. *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Sic etiam posset aliquis mirari ho-diernum mutum, quomodo soluto linguae vinculo statim recte locutus sit, qui prius mutus erat? Quod si enim Christus fecit eum loqui, quis fecit eum recte et intelligenter loqui? Non fuit sane Christo difficile conferre mutuo etiam linguae cognitionem, cui impeditam solvit linguam. Sed quia sine causa non sunt miracula multipli-

canda, ideo Maldonatus existimat hunc surdum et mutum aliquando et audisse melius et liberius locutum fuisse, adeoque olim didicisse linguam, qua sanatus postea loqui cœperit. Confirmatur hoc ex textu Græco, ubi vocatur, vix seu ægre loquens: quod etiam inde sit verisimile, quia postea dicitur locutus esse recte, quasi prius locutus sit, sed non recte. Ex hoc deducere possumus, quam recte mutus iste designet illos homines, qui loquuntur quidem, sed male; quique recte loquendi scientiam habent, sed ea nesciunt uti. Hujusmodi autem ingens hominum multitudo est: ita ut fere dies non sufficeret, si omnium talium balborum linguas solvere vellemus. Faciemus tamen ad exemplum Christi, quantum et quoque possumus.

I. Linguae vinculum, rectam impediens loqulam, est vitiosa taciturnitas, de qua alibi diximus, et modo id solum advertemus non frustra dixisse prophetam Isai. *Væ mihi, quia tacui*. Si aliquando et tacere culpa non esset, propheta non dixisset: *Væ mihi quia tacui*, inquit S. Greg. III. moral. XVII. Quam multa enim bona potest aliis praestare lingua sapiens? Nec frustra datum est homini a Deo nobilissimum linguae instrumentum: sicut nec militi frustra datur gladius, sed ut su tempore eum exerat contra hostes. Hinc Salomon dixit: *Tempus tacendi, et tempus loquendi*, Eccl. III. Ut ergo vitium est loqui, cum non oportet: ita vitium quoque est, non loqui cum oportet. Idecirco Sapiens, Prov. XXV. dixit: *Mala aurea in lectis argenteis (alii vertunt, in cancellis, ali in cælaturis, ali in thecis transparentibus) qui loquitur verbum in tempore suo*, q. d. sicut malum ex auro factum retinaculo argenteo inclusum longe pulchrius appetit, quam nudum: sic qui in tempore suo loquitur et cum decet taceat. Ut recte canere, ita etiam recte pausare, artificium et officium est musici. Porro quando tacendum et loquendum sit, suo loco dictum est.

II. Secundum *garrulitas* seu nimia loquacitas, quæ imprimis fugienda, quod inanem et vacuum sapientia demonstraret et hominem: *In multis enim sermonibus invenietur et stultitia*, ait Eccl. c. V. Ut enim vas quod pulsatum alte sonat, inane est: sic et homo loquax, parum habet mentis. Quinetiam qui multum loquuntur, perdunt sapientiam et produnt suam insipientiam ac defectus. Unde S. Ambros. comparat loquacem speculo, quia omnes animi sui noxas representat. Diadochus, de perf. spir. c. LXX. ait: « Quod balneis, idem accidit loquacibus: si balnei ostium crebro patefiat, calore paulatim emissio frigescit: sic qui multa sine necessitate loquitur, per oris januam, calorem internum

exire necesse est. » Hinc Arist. i. I. cœcon. c. VI. jubet claudi portam domus, symbolice designans vitandam loquacitatem. Sæpius delinquent necesse est, qui ostium oris sui non clausum, sed fere semper apertum habent. Ut enim ejusmodi ostia, qualia cauponum, omnibus sunt pervia, plena etiam perditis hominibus : sic ora loquacorum quibuscumque vitiis, quia : *In multiloquo non deerit peccatum*, ait Sap. Prov. X. et hinc Num. XIX. dicitur : *Vas quod non habuerit operculum, immundum erit*. In tale vas incedunt omnis generis muscæ : in os patulum multi incident errores. Quare Apollonius rogatus : *Qui sunt optimi hominum? Qui*, ait, *in dendo sunt brevissimi*.

Denique, loquaces ad res gerendas fere inutiles sunt. Ut enim infantes, qui celerius loquuntur, tardius ingredi incipiunt : ita qui ad dicendum promptior est, ad rem agendam minus est idoneus.

III. *Stultiloquium*, quod etiam ostendit hominem insulsum, et sœpe in gravia pericula conjetit, præsertim coram adversariis et viris principibus usurpatum. Azo jurisconsultus clarissimus eum in carcerem mitteretur ob percussum ferventi ira inimicum, exclamavit : *Ad bestias, ad bestias*; quod est principium legis XXXI. ff. de poenis, significare volens ei secundum legem illam parcendum, ut qui plecti quidem mereatur, absolvendus tamen fit, velut in arte sua excellens et reipub. utilissimus. Sed judices, quibus minime amicis utebatur, interpretantes se ab illo per derisum vocari *bestias*, non ante destiterunt, quam ei necem inferrent. Quod si cautius locutus esset, vel dictiōnem interpretando suspicionem amovisset, utique mortem evasisset. Recte itaque monet Ecclesiasticus, cap. XXVIII. *Verbis tuis facito stateram*, q. d. pondera prius sermones tuos, priusquam effundas, non enim ut nāvem arreptam fluctibus anchora licet sistere ; ita verbum e portu oris velut in altum emissum ; sed sicut avis semel dimissa non facile recuperatur, ita nec dictum semel ab ore profectum, quia ab aliis volat ad alios. Mirum de pica cuiusdam Romani tonsoris, narrat Plutarchus, in lib. de industria. Hæc enim cum humanas voces, ferarumque sonos reddere, et instrumentorum effingere strepitus didicisset, audiit aliquando, cum quidam dives efferretur, funebres tubarum ac tibiarum modulos, moram forte in transitu diutius trahentes. Ex quo postridie pica muta fuit, mirantibus omnibus, qui eam noverant, et suspicantibus vel tubarum sonitu ita obstupefactam, vel veneno dato elinguem factam : subito resumpsit vocem et omnes illos tubarum ac tibia-

rum, quos audierat, modulos dexterime expressit; quos proinde dicto illo silentii intervallo, memoriæ impressos, tacita recoluerat, et quas ifides organi aptaverat atque concinaverat. Jam si hæc avicula præclaros effectura modulos, prius in silentio secum meditata est, quæ modulari voluit carmina; non pudet nos rationis compotes, sine ratione et præmeditatione tam multa effutire, insulsa et inepta ?

IV. *Vaniloquium*. Hoc item vanum ostendit hominem ; sicut enim molendinum talem reddit farinam, quale est frumentum molæ affusum : ita lingua ea loquitur, quæ ipsa mens pertractat, et quibus ipsa plena est. Maxime vero dedecet Christianos, qui satis habent rerum seriarum de quibus loquantur : omnes enim contendunt in agone ; unde ab omnibus rebus impertinentibus abstinent debent. Non terunt agricolæ tempus illud nūgis, quo est colendum vel metendus ager; nec mercatores tempus nundinarum ; nec mendicantes negligunt conventus publicos vel eleemosynarum tempora. Ad hæc Dominus, Matth. XII. ait : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*. Licet enim res parva sit verbum otiosum, magnus tamen est Deus, qui eo verbo offenditur : magnus est et fructus, qui eo tempore negligitur. Vincentius Beluacensis refert Durantum quemdam ex abbate episcopum Tолосанum, cætera pium virum, idcirco in purgatoriis ignibus aliquamdiu fuisse detentum, quod sæpius verba risum moventia incaute usurpasset, indeque tandem septem fratrum monachorum silentio ad septem dies continuato, liberatum, l. XXVI. spec. hist. c. V. Gorgia sophista cum duos audiret indoctos philosoños, unum ridicula proponentem, alterum aliena et insulsa respondentem : *Uter, inquit, stultior est, qui mulget hircum, an qui cibrum supponit?* Laert.

V. *Turpiloquium*. Hoc imprimis ostendit mentem dicentes esse cloacam sordidissimam, unde fecor ille exhalet, uti concludit S. Chrys. hom. LXIX. in Matth. quia : *Ex abundantia cordis os loquitur*. Ad hæc S. Hier. *Non longe est a facto, inquit, qui delectatur in verbo* : et Arist. lib. VII. polit. c. ult. *Omnis obscenitas verborum per legislatorem exterminanda est de civitate*. *Ex licentia enim turpiter loquendi, sequitur et turpe facere*. Maxime vero hoc dedecet Christianos, qui vocatione, baptismo et professione sancti esse debent. Ideo enim apostolus ad Eph. III. ait : *Omnis fornictatio, aut immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*. Ad hæc : *Videte fratres, inquit Augustinus, serm. CCXV. de temp. Si justum est ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur,*

luxuriosum canticum, quasi venenum diaboli profertur. Quod si Diogenes ad juvenem formosum turpia loquentem, dicere potuit : *Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere*, quanto magis hoc probri conjici poterit in Christianum, qui ex eburnea oris vagina, qua Christi corpus accipit, plumbeum et sordidum educit gladium? quis neget, verba impudica dedecere magis Christianos quam Judæos? Et hi tamen, ut narrat Josephus, usque eo abhorrebant a turpiloquiis, ut etiam horrerent animalia valde sordida proprio appellare vocabulo, sed per periphrasin nefanda vocarent animalia. Ad hæc si religiose abstinemus a commemoratione excrementorum corporis, vel partium infamium, per quas egeruntur; et non multo magis a turpiloquio, quod secum vehit culpam, nonne excolamus culicem et glutinum camelum? Denique, si in præsentia honestorum virorum turpia loqui non audemus, coram Deo audemus? S. Bernardinus Sennensis adhuc adolescens, qui ex frequenti consuetudine ad primum quemque turpioris verbi auditum sic erubescet, quasi quis ei colaphum impegisset, inter æquales pro inimico publico talium colloquiorum habereturceptus est, adeo ut si ejusmodi rerum tractationi, ut fit, interveniret, subito mussarent : *Tacete, tacete, Bernardinus adest, in ejus vita, apud Sur. tom. III. et non magis nos absterre a talibus debeat, ipsius Dei conspectus et præsentia?*

VI. *Sacrorum verborum abusus*; et translatio ad profanum et ridiculum intellectum. Hac lingua non minus videtur offendit Deus, quam si vasa et vestes sacræ ad profanos applicarentur usus, calices sacri ad convivia, vestes sacræ ad chorreas, etc. nec mitius judicium istis expectandum, quam contigit Nabuchodonosori regi, qui vasa sacra Jerosolymis abstulit, et idcirco ad bestias condemnatus fuit; quam contigit Balthasari ejus filio, qui epulabatur et bibebat e vasis illis sacris de templo Jerosolymitano ablatis, et idcirco de regno exturbatus est, Dan. V. Demetrius Phaleanus bibliothecæ regiae præfectorus a Ptolomæo Ægypti rege interrogatus, qui factum sit, ut tam admirande Scriptura divinæ nec historicus ullus nec poeta mentionem fecerit, respondit, neminem ausum eam attingere, quam constaret divinam esse, et omni veneratione dignissimam et punitus esse quosdam a coelesti numine, qui illam temere attriccare, non sint veriti. Theopompum enim volentem inde quedam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta et per intervalla insaniae Deum placasse, facile conjicientem, quæ morbi causa fuerit : atque in somnis admonitum, hæc ideo pati, quod fuisse circa res divinas curiosior, eaque voluisset proferre profanis

hominibus. Quare cum a cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodecti etiam poetæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid e sacris libris admiscere, oculos glaucomata suffosos caligasse et cum erratum cognovisset, exorato Deo redditam sibi aciem, refert Joseph. I. XII. antiqu. c. I. Baron. anno Dom. 234. Exodi XXX. dicitur, quod qui compositionem thymatatis fecerit ad profanum usum : *Ut odore ejus perfruatur, peribit de populis suis*. Et quid aliud facit, qui Scripturam sacram ad fœda et ridicula composito loco applicat?

VII. *Maledictum seu imprecatio*, de qua David dicit : *Dilexit maledictionem et veniet ei, noluit benedictionem et elongabitur ab eo*, Ps. CVIII. Id vero justissima Dei vindicta sæpius ostensum. Henricus comes a Schwarzenburg, quotidiane huic imprecationi assuetus erat : *Si hoc fecero, mergar in latrina*. Tandem Erfordiæ, in conventu quodam ad D. Petrum, collapsio ædifici cum aliquot nobilibus in latrinæ sordibus perit, ubi etiam Fridericus I. imperator, qui illi conventui intererat, collapsis trabibus, vix ad cancellos fenestrae serratos adhærebatur, Maiol. tom. II. coll. II. Cæsarius in vita S. Engelberti archiepiscopi Colon. et martyris scribit, l. II. c. XIV. apud Sur. in novembr. nobilem quendam Arnoldum, cum sancti illius ossa in Rheno Coloniæ veherentur, de fenestra prospexit, non procul a Colonia, et insaniam sibi imprecatum, si Engelbertus sanctus sit, ut dicebatur. Itaque eodem die insaniam correptus cœpit furere in uxorem, liberos et ipsum etiam confessarium, qui vocatus erat ad confessionem ejus audiendam, alteroque die sine sacramentis et pœnitentia obiit misere. In chronicis Polonicis scribitur, Poloniae principem Popielum seniorem consuevisse sibi et suis imprecari murium devorationem. Ergo filius ejus, eodem cum patre nomine, cum dolo uxoris moribundum se simulasset, et patruos suos ad se vocatos venenato poculo, quod in signum amoris propinare se eis simulabat, peremisset et inhumatos projecisset, ex cadaveribus interfectorum inusitatæ magnitudinis et multitudinis mures enati regem, uxorem et liberos in arce cum ingenti strepitu invaserunt. Itaque Popielus in arcem, sitam in lacu Goplo, profugit, sed tantus eum murium grex insecurus est ut pene navim everterit. Cumque in turi aquis circumflua se cum suis inclusisset, nihil tutor fuit, sed ibi cum uxore et liberis a muribus corrosus consumptusque est, ut ne monumentum quidem eorum relictum sit. Refert etiam Hieronymus Ziegli. de viris illustribus Germ. cap. XXIII. Serar. in Mogunt.

VIII. *Juramentum*. Hoc quidem non est ex se

malum imo bonum, cum sit actus latræ : sed ex accidenti, si non fiat debitis conditionibus. Conditiones autem describit Jeremias, c. IV. (ut advertit ibi S. Hieronymus) cum ait : *Jurabis : Vivit Dominus in veritate et in iudicio et in justitia.* In veritate, ne mentiaris aut jures falsum, dubium, incertum, aut ficti, dolose, amphibologice; in iudicio, ne jures temere, incaute, vane, sed ex causa necessaria et gravi, discrete præmeditate, provide, reverenter; in justitia, ne in alterius damnum læsionem, contra æquitatem et honestatem, ut Herodes qui in perniciem Joannis juravit, et Judæi, qui se devoverunt, nisi Paulum occiderent.

Extra has conditiones illicitum et vetitum est juramentum, Matth. V. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, etc.* sit autem sermo vester : *Est, est, non, non.* Quo loco non prohibetur omne juramentum, sed temerarium et falsum. Arguit enim Judæos, qui putabant tantum non esse pejerandum, aitque omnino non jurandum, id est, ne temere quidem, non falso tantum. Ratio est primo, quia non decet in re quavis levi et futili passim Deum invocare testem. Cultiorem vestem non gestamus nisi festis diebus : et sanctissimum Dei nomen passim in ore circumferemus ad omnem futilem sermonem? Est quidem juramentum actus latræ, quo Dei magnitudinem, omniscientiam, veritatem et justitiam profitemur, sed non decet passim et sine delectu ac necessitate Deum vocare in testem; sicut invocare nomen Jesu bonum est, sed passim absque causa et reverentia id in ore gerere, malum, et indecens est atque injuriosum. Terrenus aliquis princeps pro injurya reputaret, si passim in testem vocaretur, quanto magis Deus? Unde in decalogo, Deut. V. præcepit Deus : *Non usurabis nomen Dei tui frustra : quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.*

Secundo, quia juramentum institutum est solum in humanæ imbecillitatis remedium, ad comprobandum rem quam dicimus, cum alias probationes deficiunt. At quis nescit remediis et medicinis non utendum esse, nisi tempore necessitatis, adeoque noxiū esse illorum usum extra necessitatem? Et sicut inviti accipimus medicinam, ita tormenti instar esse debet nobis juramentum.

Tertio, quia sicut dicimus eum qui multum loquitur sèpe mentiri : ita qui facile et temere jurat, sèpe pejeret necesse est, teste Ecclesiastico, cap. XXIII. *Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa : et paulo post : Vir multum jurans, implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Ut ergo cavemus præcipitum et viam lubricam ac lutosam, ita cavenda jurandi

consuetudo. S. Chrysost. homil. XII. in c. V Matth. op. imperf. ait : « Qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutere, necesse est, ut injuste aliquando percutiat : sic qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis frequenter et in rebus superfluis, etiam nolens consuetudine trahente perjuratur. » Hinc fit, ut facile jurantibus, minus credatur; ita ut consuetudo jurandi argumentum sit perfidiæ, non fidei, ut ait Philo, lib. I. de special. legib. Chrysost. homil. XXVI. ait : « Hoc interdum audivi : Nisi juravero : non credit. Tu es horum causa, qui facile juras : quoniam si id non faceres sed omnibus constaret, quod non jures, mihi crede dicenti, quod iis, qui mille devorant juramenta, majorem ipse fidem solo nutu invenires. » et homil. VII. « Non juramentum fide dignum hominem facit, sed virtus testimonium et conversationis integritas, etc. » et Basilii, Psal. XIV. « Turpe est et omnino stultum esse ut fide indignum accusare, et ad juramenti securitatem confugere. »

Quarto, quia dedecet imprimis hominem Christianum, qui tantæ esse fidei debet, ut nudis ejus assertionibus credi debeat. Qui ex gentilibus viri cordati et celebres erant, non jurabant, nisi forte per jocum, uti Socrates non nisi per anserem, canem vel platanum jurabat : Zeno per capparim. Ad hæc Flamini Diali jurare non licebat, quod ei parva in re fidem non habere absurdum videretur, cui summa et divina credita essent, Plut. in problem. Rom. n. XLIII. « Esseni, inquit Josephus, l. II. de bello, c. VII. jusjurandum quasi perjurio deterius vitant. Jam enim mendacii condemnatum arbitrantur, cui sine Deo non creditur, etc. » item : « Omne quod dicunt juramento fortius habent, » ib. Quid ergo facere Christianos decet? Certe Dominus peculiariter nobis commendatum voluit id : *Sit sermo vester Est, est : non, non.*

Sed quod remedium contra jurandi consuetudinem? Tria præbet S. Chrysost. homil. XVII. in Maith. Primum, vehemens cupidaque vivendi voluntas. Quid non faceres, ut supplicium mortis tibi decretum evitares? Et ad vitandam gehennam nihilne facies? Conare saltem, et propone firmiter quotidie abstinere : *Tantummodo velle sufficit, et totum quod jubetur impletum est,* ait ibid. Chrysostomus.

Secundum, pravam consuetudinem, desuetudine, velut clavum clavo pelle. At dices : Hoc facere non possum : sed quomodo addidicisti, quod non potes dediscere.

Tertium, admonitores appone, qui jurantem admoneant; vel pœnam tibistatue, teque ipsum corripe.

Quartum, timor Dei. Ita Aug. in serm. de de-

coll. Joan. Bapt. Timendo, inquit, *Deum, juratum abstulimus de ore nostro.*

IX. *Perjurium*, sive mendacium, per quod divino adducto testimonio falsum confirmatur. Hoc autem imprimis Deum gravissime offendit, quia cum jurare per Deum nihil aliud sit quam invocare ejus testimonium, cum juras falsum, aut credis, Deum nescire verum; et sic ponis ignorantiam in Deo; cum tamen omnia nuda et aperta sint oculis ejus; aut vis Deum diligere mendacium, et derogas ejus veritati: aut putas non posse ab eo convinci aut puniri perjurium, et sic derogas ejus potentiae. Secundo, perjurus facit injuriam sibi, quia obligat se iudicio Dei, quasi dicat : Nisi ita sit, Deus puniat me. Ad haec auctoritatem sibi detrahit. Nam : *Ubi quis semel pejerarit, ei credi postea, etiam si perplures deos juret, non convenient,* ait Cicero, in orat. pro Rab. posth. Tertio, offendit alios quia tollit fidem inter homines, adeoque societatem; dubia enim juramentis confirmantur, et : *Omnis controversia finis est juramentum,* Hebr. VI. Quare non immrito sèpe horribiliter hic puniti sunt perjuri. Tres perversi homines grave aliquod scelus confinxerant in S. Narcissum episcopum Jerosolymorum, atque ut fidem audientibus facerent, perjurium addidere; primus ut combureretur, secundus ut epilepsia tangeretur, tertius ut visu privaretur. Non diu absunt vindicta Dei. Primus enim, cum parva scintilla de lumine cadens domum inflammasset, cum domo et omnibus suis combustus est: secundus, morbo tactus est, qui totum ejus corpus pervasit: tertius, visa tam celeri et inevitabili Dei vindicta, suam et sociorum malitiam erga virum innocentem Narcissum, confessus levit, nec plorare desiit, donec oculi siccarentur, et una visu destitueretur, Niceph. Cal. l. V. cap. IX. Alios perituros igne sacro tactos legimus, ut in Gregor. Turon, hist. Gall. l. VIII. cap. XVI. ubi perjurus igne circumdari et exuri visus, quem fatebatur, e ccelo lapsum esse. Romæ etiam in æde S. Antonii patent perjuri hominis ossa igne sacro combusta; ipse enim in sui criminis contestationem sese eidem Ecclesiæ devoverat, ossa combusta ferri, publiceque ostentari mandavit, perjuri quoque seriem conscribi publice, quæ omnia propalam ibi conspi ciuntur, Maiol. coll. XXII. dierum canicul. Aliud terribile exemplum refert Delrius, tom. II. disquisit. lib. III. p. I. q. VII. sect. II. ex Germano quodam jurisconsulto in hæc verba : « Joachimo I. electori Brandenburgico nupta fuit Joannis Daniæ, Sueciæ et Norvegiae regis filia Elizabetha, cui, ut alimenta se mortuo regina haberet, oppidum Spandaco ad Suevi et Havil flu-

mina maritus attribuit, in quo oppido, ipsa adhuc vivente, miles quidam, per Marchiam iter faciens, cum morbo impeditus detineretur, decumbens, tradidit crumenam pecunia referat hospitæ asservandam. Post aliquot dies, cum convalescit, repotit sacram. Mulier avara, cum ægre tantam pecuniam emitteret, deliberat cum viro, utrum reddere dbeat. Ineunt consilium, ut mulier neget depositum. Quare cum miles suum repeteret, illa confidenter negat, se quidquam accepisse. Simulat se mirari, impudentiam militis, qui ausit flagitare. cum nihil dederit asservandum miles indignatus rei motus objicit vicissim hospitæ perfidiam. Quare maritus tamquam defensurus suam con gem, extrudit militem domo : is ante fortes irritatus scelere hospitæ, stringit gladium, veluti impetum facturus in virum, et ferit januam. Hospes implorat fidem vicinorum, et queritur suas ædes oppugnari. Accurrunt lictores, et militem, quod vim publicam fecisset, abducunt in carcerem. Post aliquot dies senatus oppidi alio mittit narrationem facti, et sententiam prescribi petit. Constatbat ædes publice oppugnata esse, quare fertur sententia, ut miles ultimo supplicio afficiatur. Cumque jam instaret dies iudicii, venit diabolus in carcerem ad captivum, indicans ei, quam sententiam judices laturi sint, et pollicetur se hoc periculo eum liberatum esse, hac conditione, ut se diabolo dedit. Miles constanter respondit se potius moriturum esse, quamvis sit innocens. Cum vero diabolus verbis multis exaggerasset periculum, nec tam inflexisset militis animum, tandem pollicetur ei liberationem, sine ulla conditione. Et cum veneris, inquit, in iudicium, dic te imperitum esse forensium negotiorum, et patrono indigere : ibi astabo cæruleo pileo tectus, et ornato pennis. Pete igitur, ut me jubeant causam dicere. Miles, qui hoc sine impietate facturus videbatur, ait se hoc consilio usurum esse. Postridie in iudicium ducitur, adest etiam orator tectus cæruleo pileo. Ibi, cum actor peteret, militem propter vim publicam capitali supplicio affici, miles respondit, se imperitum forensium negotiorum, petere, ut liceat isti suo advocate pro se dicere. Concedunt judices. Ibi diabolus de jure erudit disputat : non esse capitali supplicio afficiendum eum, a quo non sit ortum rixæ, et tumultus initium, ait ab hospite militem vi extrusum, et spoliatum esse, jubet queri sacram, et locum monstrat. Ibi cum hospes vehementer negaret, addens ejus diras imprecations, ut ipsum abruptum diabolus perderet si fecisset. Hanc imprecationem cum invocatione